

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Correctio t  
cum fontibus proximo et primo

Accusare uicia officium est bonum  
quod cum mali faciunt alienas partes agunt.

Cogitemus ergo cum aliquem reprehendere nos necessitas cogerit,  
utrum tale sit uicum quod nunquam habuimus  
et tunc cogitemus nos homines esse et habere potuisse,  
uel tale quod habuimus et iam non habemus  
et tunc tangat memoriam communis fragilitatis  
ut illam correctionem non odium  
sed misericordia precedat.

Si autem inuenerimus nos in eodem uicio esse,  
non obiurgemus sed congemiscamus  
et ad qualiter deponendum inuitemus.

Augustinus in libro de sermone Domini in monte.

Unde Augustinus dicit, in libro *de Serm. Dom. in monte*:

Accusare vitia officium est bonorum:  
quod cum mali faciunt, alienas partes agunt.

Et ideo, sicut Augustinus dicit in eodem,  
cogitemus, cum aliquem reprehendere nos necessitas coegerit,  
utrum tale sit vitium quod nunquam habuimus:  
et tunc cogitemus nos homines esse et habere potuisse.  
Vel tale quod habuimus et iam non habemus:  
et tunc tangat memoriam communis fragilitas,  
ut illam correctionem non odium  
sed misericordia praecedat.

Si autem invenerimus nos in eodem vitio esse,  
non obiurgemus, sed congemiscamus  
et ad pariter poenitendum inuitemus.

Thomas de Aquino, *Summa theologiae, Secunda secundae*, 33.5  
(P. Caramello ed., p.183).

Accusare enim uitia officium est uirorum bonorum et beniuolorum;  
quod cum mali faciunt, alienas partes agunt  
sicut hypocritae, qui tegunt sub persona quod sunt,  
et ostentant in persona quod non sunt.

Hypocritarum ergo nomine simulatores acceperis.  
Et est uere multum caudum et molestum simulatorum genus,  
qui cum omnium uitiorum accusations odio et liuore suscipiant,  
etiam consultores uideri se volunt.  
Et ideo pie cauteque uigilandum est, ut  
cum aliquem reprehendere uel obiurgare necessitas coegerit, primo cogitemus,  
utrum tale sit uitium quod numquam habuimus uel quo iam caruimus.  
Et si numquam habuimus, cogitemus et nos homines esse et habere potuisse;  
si uero habuimus et non habemus,  
tangat memoriam communis infirmitas,  
ut illam reprehensionem aut obiurgationem non odium  
sed misericordia praecedat, ut siue ad correctionem  
eius propter quem id facimus siue ad peruersiōnē valuerit –  
nam incertus est exitus –, nos tamen de simplicitate oculi nostri securi simus.  
Si autem cogitantes nosmet ipsos inuenerimus in eo esse uitio  
in quo est ille quem reprehendere parabamus,  
non reprehendamus neque obiurgemus, sed tamen congemiscamus;  
et non illum ad obtemperandum nobis sed ad pariter conandum inuitemus!

Augustinus Hipponensis, *De sermone Domini in monte*, 2.64  
(CCSL 35, A. Mutzenbecher ed., pp.160-1, ll.1459-1481).